

ba expressa de presenti contractum, & deinde alter cõ-  
iugum, puta vir ante secutam copulam asserit, quod li-  
cèt protulerit verba illa contractus matrimonij, non ta-  
men habuerit animum contrahendi, sed id egisse, vt ex-  
torqueret copulam carnalem. Nam adhuc in foro con-  
scientiæ, quoad ipsum virum, vt mox declarabo, non di-  
citur matrimonium. Et quo hoc facillè intelligatur, dua  
hic inspectiones considerantur. Vna est, an hoc censeat  
matrimonium, si constat virum hunc non habuisse  
animum contrahendi. Et certum est, hoc non esse ma-  
trimonium ob defectum consensus. dicitur cap. tua nos. de  
sponsal. & affirmant D. Thom. in 4. sent. dist. 27. quæst. 1.  
art. 2. & q. 4. & ibidem Ricard. Syluest. Prierius in sum-  
ma, in verb. matrimonium, il. 1. nu. 3. & Domin. Sot. in 4.  
sent. dist. 27. quæst. 1. art. 2. & ex nostris Soc. Sen. in con-  
sil. 28. nu. 4. lib. 1. & in consil. 119. lib. 3. & Soc. Sen. in con-  
sil. 86. in fin. lib. 2. Altera est inspectio, an huic viro asse-  
renti non habuisse animum contrahendi matrimonij,  
credi debeat in foro conscientiæ, & animæ. Hic ergo  
subdistinguo duos alios casus.

34 Primus est, ¶ quando agitur de adhibenda fide ipsi  
viro respectu mulieris, vt scilicet, ipsa mulier debeat cre-  
dere viro, & ei credendo non censeat alligata illi ma-  
35 trimonio. Secundus est ¶ casus, quando agitur de adhi-  
benda fide ipsi viro respectu suæ personæ.

Illo primò in casu loquuntur Ricard. in quarto sen-  
tentiarum, d. 29. q. 3. Do. Soto in 4. sent. dist. 27. q. 3. art.  
3. col. 8. vers. quo ergo gradatim &c. quod si mulier ha-  
beret certitudinè quandam moralem, quam à bonis con-  
iecturis causari dixit Soto post Ricardum, vt quia ipsa  
fit multò inferioris conditionis, & fortis, & vir sit nobi-  
lis, & probata virg. debet mulier illi fidem adhibere, præ-  
sertim si illico ipse vir negauit. Et propterea liberè mu-  
lier illa potest nubere, cum non sit alligata primo. Si  
verò mulier non habet moralem hanc certitudinem, vt  
si coniecturæ sunt vehementes, quippè quod non sint  
conditione multum disparès, & talibus verbis, & modo  
vir confensit, vt ipsa sapientium consilio possit non cre-  
dere, illum cõsensisse, præsertim si post notabile tempus  
id negat. Hoc casu (inquit Soto post Richardum) non  
debet mulier adhibere fidem ipsi viro etiam ad alias nu-  
ptias transenti, & ob id ipsa mulier manet ligata, siq.  
liberè non potest, salua sua conscientia, alteri nubere.  
Et ratio, quare mulier hæc fidem adhibere non debeat  
viro illa est (inquit Soto) quia nimis indignum est, (vt  
habet in c. per tuas. de probat.) vt quod sua quisque vo-  
36 ce ¶ dilucidè protestatus est, in eundem casum proprio  
valeat testimonio infirmare, sic & Tho. Sanchez in tract.  
de matrimonio lib. 2. disputat. 45. nu. 3. & scripsi in con-  
sil. 385. num. 20. lib. 4.

37 Alter est sicque secundus casus, ¶ quando agitur de  
adhibenda fide ipsi viro respectu suæ personæ. Hoc casu  
dicendum est indistinctè, credendum esse ipsi viro ita  
asserenti, & si eius verba iam prolata aliud significaue-  
rint. Nam supponamus virum dixisse, se ducere in vxo-  
rem mulierem per verba de presenti. Hæc verba sunt  
quidem clara in se, sed nil plus possunt operari, quam  
vt significant animum & voluntatem ipsius loquentis.  
iuxta leg. Labeo. ff. de suppellect. legata. Et hæc signifi-  
catio est propriè præsumptio violenta quidem, quam fa-  
38 cit lex præsumens id esse in corde, ¶ quod loquitur lin-  
gua, non autem significatio ista est verè, & propriè con-  
sensus, & voluntas, vel animus, cum aliud (vt dici solet)  
esse potuerit in ore, aliud in corde. Et multi reperti sunt,  
& in dies (quod vtiã ita non esset) repertiuntur, qui  
alia quam in animo habent, loquuntur. Verba itaq. oris  
39 ¶ significant, & præsumptionem faciunt eorum, quæ sunt  
in corde. Et quidem comprobatur auctoritate Aristote-  
lis lib. 1. Perihermenias, siue de interpretatione, cap. 1.  
Cum scripsit hæc verba. Ea igitur, quæ voce versantur si-

gna sunt affectuum, quæ in animo sunt, & ea, quæ scri-  
buntur notæ sunt eorum, quæ in voce versantur. Dixit  
ergo manifestè Philoſophus, verba esse signa voluntatis,  
signa autem sunt species præsumptionis, seu coniec-  
turæ, vt his nominibus, aliquando appellantur à Cice-  
rone, Quintiliano, & alijs commemoratis supra lib. 1.  
quæst. 7. Et Aristotelem secutus est Bald. in cap. manda-  
tum. num. 1. de rescriptis, & idem respondit Soc. Sen. in  
consil. 10. num. 2. lib. 1. Ea est ratio, quia voluntates non  
sunt manifestæ, vt inquit idem Aristoteles lib. 10. Ethi-  
corum, cap. 8. & dicebat D. Thomas, quem & supra re-  
tuli, Quolibeto 5. art. 15. dum de hac voluntate in con-  
tractu matrimonij verba faceret. Veritatem latere in  
his, quæ pertinent ad interiora cordis, quæ humano te-  
stimonio probari non possunt, & si aliqua signa exterio-  
ra de his possint aliqua coniectura haberi. Cum ergo &  
voluntas illa significata expressis verbis sit, quid à lege  
præsumptum, vehementi quidem præsumptione indè  
fit, hoc etiam appellari matrimonium præsumptum, vt  
in specie ita appellat Richar. in 4. sent. dist. 19. quæst. 3.  
primæ distinctionis. Hinc etiam sequitur, quod in foro  
conscientiæ cedit ipsi veritati, demonstrata per contra-  
riam assertionem eiusdem dicentis, ita esse pro animæ  
suæ salute. Et ideo, quoad hoc nil differt hic casus à  
casu dicitur cap. tua nos. de sponsal. Ita enim hic adest vo-  
luntas præsumpta, & significata, vt in casu illo, etsi dif-  
ferentia est, quoad modum, quo causata est ipsa præ-  
sumptio. Illa enim ex facto quodam causata fuit, hæc  
ex verbis. Illa videtur tacita quædam declaratio vo-  
luntatis, hæc verò expressa, attamen quoad vim decla-  
ratiuam eadem esse videtur. Cum facta ¶ sint valde  
40 efficacia ad declarandam hominis voluntatem, vt pro-  
bat leg. Paulus. ff. rem ratam haberi, & tradunt Dec. in  
consil. 269. num. 9. & copiosè Crau. in consil. 159. nu. 5.  
Cæteros omitto. Si itaque nil differt casus ille noster à  
casu d. cap. tua nos, sequitur necessariò concludendum,  
adhibendam esse fidem assertioni viri, cum dixit, se non  
habuisse animum contrahendi matrimonium. Nec re-  
pugnat ratio illa ducta à d. cap. per tuas. de prob. quod  
nimis indignum sit, quod quisq. sua voce dilucidè pro-  
testatus est, in eundem casum proprio valeat testimo-  
nio infirmare. Quæ quidem fuit generaliter in fin. C.  
41 de non numer. pecun. Nam respondetur, ¶ quod licet  
indignum hoc videatur in foro contentioso, non tamen  
in foro conscientiæ, vbi sola veritas omni præsumptio-  
ne reiecta, spectatur, adeo indignum est, quin attendi  
id debeat. Et si in foro conscientiæ procederet senten-  
tia dicitur cap. per tuas. male etiam scripsisset, Soto in pri-  
mo illo casu, quod mulier habere debeat fidem, quando  
vir altioris conditionis, & fortis, illico id præsertim as-  
seruit. Est quidem durum, quod infirmari possit, vel de-  
beat confessio illa, sed etiam durum est, vt ceteris vrgen-  
tibus præsumptionibus non credatur in hoc ipso foro  
conscientiæ, & tamen verè non creditur, vt diximus su-  
pra. Quemadmodum ergo reiectis illis præsumptioni-  
bus creditur assertioni ita asserentis de suo animo. Idem  
dicendum est in isto casu.

Declaratur tertio, vt hæc præsumptio locum non ha-  
beat, quando ¶ coitus antecessit sponsalia. Nam tunc  
42 ex eo non præsumitur contractum matrimonium. Ita  
Abb. in cap. veniens. il. 2. de sponsal. Henric. Boic. in cap.  
attestationes. col. vlt. de despons. impub. Soc. Sen. in con-  
sil. 28. nu. 6. lib. 1. Sylu. Prier. in sum. in ver. diuortium. q.  
1. & in verb. sponsal. q. 10. Ioan. Maior in 4. sent. dist. 28.  
q. 1. Didac. in epitome de spons. cap. 4. §. 1. num. 13. Rot.  
Roma. in decis. 121. num. 12. in 1. par. in nouissimis. Et  
horum sententiam probant tex. à sensu contrario, in d.  
cap. veniens. ibi, si post fidem præstitam cognouerit, &  
in d. cap. is qui fidem. ibi, carnali copula subsecuta. Præ-  
terea considerari potest ratio, quod ipsimet sponsi ob-  
spon-

Sponsalia contracta post coitum declarasse dicuntur, se-  
non contraxisse matrimonium per coitum, sed velle in  
43 futurum contrahere, ex quo sponsalia ¶ sunt futurarum  
nuptiarum promissiones. l. 1. & l. 2. ff. de sponsal. Et hinc  
fit, quod si testis dixit, Caium eius sponsam carnaliter  
cognouisse, nõ concludit, vt ex ea copula iudicetur ma-  
trimonium. Potuit enim eam cognoscere ante sponsa-  
lia. Est enim opus probare, quod post sponſionem eam  
cognouerit, vt scribunt Abb. But. & Præpos. in dic. cap.  
veniens. Dec. in cap. ex presentia. numer. 24. de probat.  
Crotin tract. de testibus num. 288. & Gram. in consil.  
26. col. 1. in ciuilibus quos secutus est Dida. præcitato in  
loco. Quibus intelligimus male ¶ sensisse Mar. in singul.  
44 500. cum scripsit, etiam ex coitu præcedenti, ¶ præsumi  
contractum matrimonium subsecutus deinde sponsalia.  
Et huius opinionis commemorat Claudium Seyfel-  
lium in rub. ff. sol. matrim. num. 12. & Nenz. lib. 2. Sylua  
nuptia. num. 12. qui tamen, vt etiam animaduertit Di-  
dac. hoc non scribunt. Solum vrgere videtur argumen-  
tum, quod ex ipso Claudio colligitur, cum ait matrimo-  
nium ceteri copula carnali consummatum etiã ex coi-  
tu præcedenti, & propterea sicuti Pontifex Max. non po-  
test dispensare, vt dissoluatur matrimonium copula car-  
nali consummatum, quando copula post matrimonium  
contingit, ita nec dirimere potest matrimonium, cui præ-  
missa fuit commixtio carnis. Et huius opinionis Clau-  
dus citat Bald. in c. vlt. in fin. de trans. episc. Verum re-  
sponderet, & rectè Didac. quod immo matrimonium non  
cenſetur consummatum ex coitu præcedenti, sed is coi-  
tus dicitur fornicarius, vt probat Soc. Sen. in dic. consil.  
28. num. 6. lib. 1. & sentit Nenz. in dic. li. 2. Sylua nupt.  
numer. 12. Nec repugnat auctoritas Baldi, quia id non  
affirmat. Hinc aduersus Claudium sequitur, quod il-  
45 lis in casibus, in quibus potest Papa dispensare ¶ dissol-  
uere matrimonium nondum carnali copula consumma-  
tum, potest etiam dissoluere hoc, cui præcessit carnalis  
copula. Quando quidem hæc copula non reddit ipsum  
matrimonium, vt dici possit omninò perfectum. Non  
etiam obstat text. in cap. tanta. qui filij sint legitimi,  
quem citauit Marſilius. Nam illud statutum fuit ab ec-  
clesia fauore prolis susceptæ, vt legitima sit ex matrimo-  
nio subsecuto post eorum natiuitatem, non tamen ex eo  
fit, quod matrimonium per eam copulam fuerit contra-  
ctum. Ita etiam videmus ex cohabitatione viri, & mulie-  
46 ris, non præsumi ¶ matrimonium, quoad eos, præsumi  
tamen quoad filiorum legitimationem. Abb. in cap. la-  
tor, numer. 6. qui filij sint legit. & dicemus paulò infra.  
Et si vera esset (ait Didac.) Marſilij opinio, sequeretur,  
quod filij suscepti, non solum legitimi dicerentur, sed  
sequens matrimonium, sed etiam per sponsalia de futu-  
ro, quia eo modo, hoc est, per copulam præcedentem se-  
cundum ipsam Marſilium diceretur contractum matri-  
monium, & tamen falsum est, quia solummodo filij red-  
duntur legitimi ex ipso subsecuto matrimonio, vt ex-  
pressè sancitum fuit in d. c. tanta.

Ex prædictis infertur declaratio ad d. c. 2. de conuets.  
coniug. quo cautum est, sponsam posse coniugali consen-  
su præstito, ante copulam religionem profiteri, atque ex  
ea professione dissolui coniugium illud. Idem enim erit  
dicendum, si ante consensum coniugalem copula carna-  
lis intercessit. Illa enim coniugalis non fuit, sed forni-  
caria. Ita Did. in dic. §. 1. num. 16. auctoritate Castr. in l.  
pen. num. 3. C. de episc. & cler. & Io. Boschai lib. 1. de nu-  
tius. col. 2. num. 8. Et ideo non impeditur ex ea copula  
præcedenti religionis prof. fssio, quæ quidem impeditur,  
an concubitus antecesserit, vel subsecutus sit sponsalia,  
47 præsumendum est ¶ subsecutum fuisse, vt præsumatur  
concubitus factus tempore licito. Ita decidit Rota Ro-  
mana referente Verallo in decis. 211. par. 2.

Declaratur quarto, vt procedat hæc præsumptio, quæ  
verè carnalis copula secuta est, secus verò si solum nixus,  
48 & tentatio. Non enim solus iste ¶ conatus sufficit, vt præ-  
sumatur contractum hoc matrimonium. Ita Io. Andr.  
Gemin. & Fran. in c. 1. §. idem. de despons. impub. Abb.  
in cap. vlt. num. 2. de spons. & ibi Præpos. testatur com-  
munem, & si ipse dissentiat. Arer. in consil. 142. nume. 5.  
Syluester Prierius in verbo, matrimonium, il. 2. quæst. 16.  
Alc. in tract. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 38. n. 1. vers.  
sed quid si. & Didac. in epitome de spons. par. 1. capit. 4.  
§. 2. num. 19. Et hoc secutus sum supra lib. 1. quæst. 20.  
Affertur tex. dicitur ca. vlt. de spons. Nec obstat interpreta-  
tio Calderini ibi, cum dixit tex. illum loqui, quando spo-  
sus non potuit perficere secundum cursum naturalem,  
quia erat impubes, non autem quando non potuit secū-  
dum accedens, puta quia mulier erat nimis arcta, atque  
ita is text. videtur intelligendus in impuberibus, in qui-  
bus cessat ratio præsumpti consensus ad matrimonium.  
Non inquam obstat hæc interpretatio, quandoquidem  
ex ea nimis restringeretur, atque impropriaretur con-  
textus ille, qui loquitur de adolescente, sicque de facto  
49 pubere, propriè enim ¶ pubes dicitur adolescens. l. Au-  
relio. §. 1. vbi Bar. ff. de liber. leg.

His intelligimus veram non esse contrariam opinio-  
nem Cald. & Præpos. in dic. cap. vltim. qui ea ratione vti  
sunt, quod cum sponsus iste facere non potuisset cona-  
tum illum sine peccato, ad euitandam igitur peccati su-  
spicionem præsumendum est, quod animo contrahen-  
di matrimonium conatum illum fecerit, cum solus ipse  
consensus nuptias perficiat. l. nuptias. de reg. iur. Huic  
rationi satisfaciunt Alc. in dic. præsumpt. 38. nu. 1. vers.  
nec obstat, quod ratio hæc non procedit hoc in casu,  
vbi etiam agitur de periculo animæ. cap. iuuenis. de spo-  
sa. Et præterea (ait Alc.) nec tex. in dic. cap. is qui fidem,  
fundat se simpliciter in hac ratione, quod apparet, quia  
illa procedit secundum simplicem præsumptionem, di-  
spositio autem dic. cap. is qui fidem, secundum præsum-  
ptionem iuris, & de iure, vt diximus supra. Et potuit  
(subiungit Alci.) illud esse inductum, quia lex præsu-  
mit, quod ¶ virginitas sponsæ non sit deperdita cū spo-  
so, nisi per matrimonium. Et de tali voluntate vtriusq.  
præsumit ex actu subsecuto, & super præsumpto dispo-  
nit. Et præterea respondetur, quod in dic. cap. is qui fi-  
dem, solum est expressum de copula carnali, quæ intelli-  
gi debet cum effectu, nullum autem verbum de solo co-  
50 natu, & attentatione. Et cum simus in materia ¶ exorbi-  
tanti, contra communes iuris regulas non debet fieri ex-  
tensio. cap. que à iure, de reg. iur. Et præsertim in præsum-  
52 ptionibus, ¶ que extensionem non admittunt. Abb. in  
d. c. vlt. n. 3. de spons.

Hæc declaratio locum habet etiam in sponsalibus ¶  
impuberum contractis per verba de presenti, quæ qui-  
dem ob ætatis defectum intelliguntur de futuro, iuxta  
cap. attestationes. de desponsa. impub. si enim impu-  
bes, qui ita contraxit, pluries nixus fuerit ad copulam,  
his recedere, cum verè ex eo nixu, & conatu non trãse-  
rint in matrimonium. Ita explicat Didac. præcitato in  
loco, ex d. cap. attestationes. Et idem sentit Arer. in con-  
sil. 142. num. 6. vers. secunda conclusio. & affirmat Rui.  
in consil. 203. nu. 2. vers. tertia conclusio. lib. 1. Hoc tamen  
locum non habet, quando impubes proximus pubertati  
consensisset, post illum nixum ad copulam, etiam si is  
nixus præcessisset multo ante consensum illum. Nam  
tunc transfret in matrimonium. Ita But. Cardinal. Abb.  
& Præpos. in dic. capit. attestationes. & Didac. in dic. §. 1.  
numer. 20. vers. subdit tamen. Idem respondit Arer. in d.  
consil. 141. numer. 7. Ea est ratio secundum Præpos. &  
Didacum, quia hic duo concurrunt, nempe discretio ad  
consensum, ratione ætatis proxima pubertati, secun-  
dum

dum potentia, quæ colligitur ex nixu ad copulam. Illud etiam annotandum est ex Didaco, reiecta Prepositi opinione, solum et conatum ad copulam etiam prope etatem perfectam, non efficere matrimonium. Quandoquidem nixus ad copulam significat quidem coeundi potentiam, non tamen significat consensum, sine quo matrimonium non contrahitur.

Secunda est præsumptio, & coniectura, qua dicimus præsumi contractum fuisse matrimonium, quando scilicet sponsus et sponsam ad domum propriam traduxit. I. mulierem. ff. de ritu nuptiarum. & tradunt Io. And. in cap. ult. de spons. Angel. in §. ult. in auth. quibus modis natura efficiat. legit. Dec. in cap. i. de prob. Alc. in tract. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 38. num. 1. Palæot. de nothis spurijque filijs. ca. 10. n. 6. & Did. in epitome de sponsalibus parte prima. cap. 5. §. 2. num. 1. Et ij quidem intelligunt hanc præsumptionem esse à iure et Cæsaræo introductam, non à iure ipso Pontificio, quo non approbatur, sicuti manifestius asseruerunt Caldi. Butr. Abbas. & Præpos. in d. c. ult. Aret. in consil. 142. num. 6. & Bal. Nouell. in tract. de dote, parte undecima, in secundo membro, qui communem esse sententiam testantur. Ita etiam videmus ius ipsum Pontificium non præsumere matrimonium ex cohabitatione viri, & mulieris, sicuti infra suo loco dicemus.

Declaratur primò illa iuris canonici dispositio, quæ ex traductione non præsumit matrimonium, vt non habeat locum, quando est grane dubium, an præceserint sponsalia de futuro, vel de præsentia, stante enim hoc dubio ex traductione et ad domum, præsumi potest præcedentia sponsalia fuisse de præsentia, & sic præstitum fuisse consensum coniugalem ante ipsam traductionem. Ita Didac. in d. §. 2. num. 1. ver. 1. quando ex sententia. Bal. in l. cum te. num. 1. Co. de donat. ante nupt. & apertius ibidem Salic. prope initium. Et his accedunt alij commemorati receptique à Soc. Sen. in consil. 123. colum. 3. versic. confirmantur prædicta. lib. 1. quo in loco num. 3. recenset, & Bal. in c. quia veri simile. de præsumpt. idem affirmantem. Hæc Did. declaratio procedit quidem sine controuersia, quoad ius civile, quod matrimonium ex sola traductione (vt diximus) præsumit, sed quoad ius canonicum res mihi videtur dubia, quia si eo iure non præsumitur ex traductione matrimonium, quando iam constat de sponsalibus, quanto minus, quando nullum est signum? Et satis est, quod ex traductione præsumatur sponsalia, non autem matrimonium. Et Bald. Salic. & reliqui iure civili inspecto loquuntur. Quinimo Abb. in c. ex par. n. 25. in fi. de restit. spol. asserit nec per hanc traductionem acquiri quasi possessionem matrimonij, vt mulier deinde a viro abducta ei restituatur.

Declaratur secundo, vt non procedat illa iuris Pontificij dispositio, quando sponsa fuit et tradita ad domum sponsi illa cum solemnitate, qua duci solent vxores ad maritorum domos. Nam tunc præsumitur contractum matrimonium. Ita Didac. in d. §. 2. num. 1. versic. secundo potest, ex sententia Abb. in cap. ex par. num. 26. de restit. spol. & Ioan. Lupi in rub. ff. de donat. inter virum & vxor. §. 7. & arg. c. vidua. de regula. Et ait Did. ita esse intelligendam d. l. mulierem. ff. de ritu nuptiarum. sic etiam intelligi debeat l. cum hic status. §. pen. ff. de donat. inter virum, & vxor. & l. cum fuerit. ff. de condit. & demõ. De veteri ritu, & solemnitate tradendi vxores ad maritorum domos scripserunt Brisson. in comment. de ritu nuptiarum. & Anton. Costan. in comment. de matrimon. tit. de ritu nuptia.

Tertia est præsumptio, & coniectura, qua dicimus et sponsalia de futuro iuris interpretatione, verbis tamen consensum præsentem exprimentibus contracta, præsumi transiisse in matrimonium coniecturis, & signis, etate perfecta superuenientibus, vt puta ex amplexibus

osculis, & similibus.

Cæterum priusquam ulterius progrediamur ad huius præsumptionis explanationem, sciendum est et sponsalia aliqui dici re, & verbis de futuro, sicuti verè sunt illa, quæ per verba futuri temporis à puberibus contrahuntur, sicuti quæ vix promittit se eam ducturum in matrimonium. Aliquæ verò et sponsalia, verbis quidem de præsentia, sed iuris interpretatione de futuro, sicuti sunt sponsalia, quæ contrahuntur ab impuberibus per verba de præsentia. Nam & si verbis de præsentia contracta fuerint, attamen ob eorum inhabilitatem lex interpretatur, vt contracta censentur, eueniente vtriusque pubertate, atque ita tempus futurum expectatur. c. attestaciones. vbi Doct. de despons. impub. Illa prima sponsalia, hoc est, re & verbis de futuro, non transeunt in matrimonium ex aliquibus signis, vt per amplexus, oscula, munera, anuli subarrationem, & his similia. c. 1. de matr. contracto contra interdicit. vbi Io. And. & ibidem Abb. qui singulari esse dixit, vt quoq. censuit Ant. Corset. in vers. matrimonium, incipit, matrimonium contractum. Idem scripserunt Io. And. in c. 1. Sidem. de despons. impub. lib. 6. Inn. in c. ult. de spons. Rui. in consil. 203. n. 1. lib. 1. Dec. in consil. 368. n. 2. Paris. in consil. 62. col. 1. lib. 4. & Did. in epitome de spons. par. 1. c. 4. §. 2. num. 2. Quibus constat minus rectè sensisse Butr. & Præp. in d. c. ult. de despons. impub. cum dixerunt, hæc sponsalia, re & verbis de futuro ex annuli subarratione transire in matrimonium, ex d. c. ult. Qui quidem tex. dum dicit, desponsauit, intelligitur per verba de præsentia, vt ibidem annotarunt Inn. & alij multi. Et præterea verba intelliguntur in potentiori significato. I. r. §. qui in perpetuum. ff. si ager vecti. vel emphy. pet. Est sane potentior significatio, vt intelligatur desponsatio per verba de præsentia, cum liget, vt re ipsa patet. Non ergo hic tex. probat opinionem hanc Butrij, & Præpos. Quorum tñ traditioe eo in casu tuetur præcitato in loco Did. quæ ipsa subarratione consensus coniugalis colligeretur, vt puta quando subarratio facta fuisset eo annulo, qui dari consuevit, cum verè matrimonium contrahitur, iuxta glos. cap. femina. §. 3. q. 5. & tradunt Abba. & cæteri in cap. ult. de despons. impub. vbi inter cæteros Henricus Boic. egregie explicat, & Paris. in consil. 55. n. 43. & in consil. 60. col. ult. libro 4. quos secutus est Didac. præcitato in loco. Et his addo Aret. in consil. 13. n. 4. & 5. ex c. si quis vxorem. 27. q. 11.

De sponsalibus iuris interpretatione de futuro nunc dicamus. Hæc transeunt in et matrimonium iuris præsumptionem quæ potest etate perfecta superuenire signa aliqua, vt oscula, amplexus, munera, anuli subarratio, & similia. Ita gl. in c. 1. §. 1. de despons. impub. num. 6. Henric. Boic. in cap. attestaciones, col. 2. de despons. impub. Bal. in consil. 194. Incipiam. lib. 3. Ale. in l. quod Seruius. n. 4. ff. de cond. ob causam, & in consil. 149. in fin. lib. 5. Aret. in consil. 142. num. 7. Soc. Sen. in consil. 28. num. 4. lib. 4. Ruin. in consil. 203. num. 2. ver. 4. concl. lib. 1. Dec. in consil. 368. num. 2. versic. 2. modo. & in consil. 603. num. 6. vbi communem asserit. Gozad. in consil. 2. num. 12. Paris. in consil. 5. col. 2. lib. 4. Et Ioannes Gutierrez lib. 1. canonic. quæst. cap. 18. num. 2. qui alios refert. Et ij quidem adducti sunt illo tex. r. ca. §. 1. de despons. impub. in 6. vbi ex consensu tacito sponsalia indicant matrimonium. Ibi glos. & Doct. interpretantur, tacitum illum consensum colligi ex cohabitatione, amplexibus, osculis, & similibus signis. Et præterea sicuti per copulam summus Pontif. ibi præsumit consensum, vt illa sponsalia in matrimonium transeant, ita per alia signa, quibus detur perseverantia in consensu iam præstito in ea etate minori, indicat esse matrimonium, adueniente ipsa maiori etate. Cæterum ad hac opinionem dissentit Didac. in d. §. 2. numer. 4. sed in iudicando à receptissima illa sententia non erit recedendum.

Decla.

Declaratur primò prædicta traditio, vt locum habeat, quando et signa illa euilla sunt, et etate iam perfecta, & contracta, scilicet si etate adhuc imperfecta, etiam si fuisse valde proxima. Ita declarant Innoc. Butr. & Præpos. in c. attestaciones. de desponsat. impub. Aret. in consil. 142. n. 7. Ruin. in consil. 203. n. 5. vers. & quia. lib. 1. & Did. in d. §. 2. n. 4. Et intelligit Ruin. procedere, etiam si malitia suppleret etatis defectum.

Declaratur secundo, vt non procedat prædicta opinio, quando sponsalia fuissent contracta à minore septennio. Nam hæc, adueniente perfecta ipsa etate, non transeunt in matrimonium ex illis signis, hoc est amplexibus, osculis, & subarratione. Ita declarat Did. in d. §. 2. in fi. post Io. And. Henricum, & Rotam, quos allegat.

Declaratur tertio, vt non procedat hoc tempore quo Sacrosancto Concilio sancitum est matrimonium celebrari non posse nisi coram Parocho, & testibus, si contingat coram prædictis contrahi matrimonium per verba de præsentia inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem qui deinde simul cohabitarunt, & oscula, & similia interceserunt, non dicitur ratificatum matrimonium, sed necessaria est adhuc solennitas præsentia Parocho, & testium. Ita declarat Ioannes Gutierrez in d. c. lib. 1. canonic. quæst. cap. 18. numer. 3. versic. His tamen omnibus, qui testatur se ita iudicasse, & quidem multis solidis mouetur rationibus, & argumentis quæ apud eum legi possunt.

Quarta est præsumptio, & coniectura, qua dicimus et sumi matrimonium fuisse contractum, quæ vna simul vir, & mulier habitauerunt. Cæterum, quia hæc de præsumptione perplexè ac suboscure differuerunt interpretes nostri, ego aliquot casus sic distinguo atque constituo.

Primus est, quando dubitatur, an legis civilis dispositione præsumatur matrimonium inter pares, ob cohabitationem? Et præsumi et admittunt omnes, vt gl. in l. in concubinato, de concub. & in cap. 1. 30. qu. 5. Rot. in sig. 446. & post multos Alc. in tract. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 5. num. 1. Paleotus de nothis spurijque filijs cap. 5. num. 4. & Didac. in epitome de sponsal. in 2. par. cap. 1. num. 5. Et ij quidem idem sentiunt, absolute præsumi matrimonium etiam quoad filiorum legitimationem, ex l. in liberæ. ff. de ritu nupt.

Secundus est casus, an ex viri, & mulieris cohabitatione præsumatur matrimonium iuris pontificij dispositio ne, quoad ipsos virum, & mulierem omni conditione pares? Hoc casu receptissima est omnium sententia, non et præsumi matrimonium, sed potius fornicationem. Ita glos. in d. c. 130. quæst. 5. Abb. in c. illud. de præsumpt. & ibi Fel. num. 15. Lucas de Penna in l. 3. in 13. præsum. C. de apoch. publ. lib. 10. Io. Lupus in tract. de matrimonio. par. 2. num. 12. Gemin. in consil. 27. col. 2. Iaf. in l. 1. num. 19. C. qui testam. facere poss. & in consil. 168. lib. 4. Dec. in l. nuptias. num. 4. de reg. iuris. Alc. in tract. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 5. num. 1. Paleot. in tract. de Nothis spurijque filijs. c. 5. num. 4. cap. 19. n. 11. & cap. 20. num. 4. & Didac. in epitome de sponsal. in secunda part. cap. 1. n. 5. & alij multi, quos infra referam. Et ij moti sunt ex cap. aliter. 50. quæst. 5. cap. illud. de præsumpt. & ex Clemen. 1. de consang. & affinit. Et ea ratione, quod in foro animæ tutior via eligi debet. c. iuuenis. de spons. Et hic casus multo magis procedit, quando agitur de præiudicio alterius matrimonij. Ita Paris. in consil. 59. n. 7. lib. 4. & Didac. in d. c. 1. num. 5.

Tertius est casus, quando queritur, an ex viri, & mulieris longa cohabitatione, præsumatur à lege Pontificia matrimonium, quoad filiorum legitimationem, vt succedere deinde possint? Et receptor est sententia, præsumi hoc casu et matrimonium. Ita tradunt glos. in d. c. 130. quæst. 5. Innoc. in c. ex par. de restit. spol. Abb. & Imol. in cap. illud. de præsumpt. Idem Abb. in c. lator. &

in cap. ex tenore, qui filij sint legit. Gemin. in consil. 27. Io. Lup. in tract. de matrim. par. 2. nu. 12. Cepolla in consil. 5. num. 16. in ciuilib. Soc. Sen. in consil. 39. num. 6. in fin. lib. 1. Iaf. in consil. 168. col. 1. lib. 4. Felin. in cap. illud num. 15. in fin. de præsumpt. Dec. in l. nuptias. num. 4. de reg. iuris. & in cap. Ecclesie S. Maria. num. 44. versic. 7. casu. de consil. idem in consil. 153. num. 2. & in consil. 471. num. 3. Curt. Iun. in consil. 52. num. 3. Cagn. in l. si qua illustri. num. 12. C. ad S. C. Orphicia. Paris. in consil. 13. num. 22. lib. 2. & in consil. 57. num. 46. lib. 4. Rota Roma. decis. 66. lib. 1. 3. par. in nouiss. Soc. Iun. in consil. 39. num. 17. lib. 3. Palæot. in tract. de nothis spurijque filijs. cap. 19. num. 12. Did. in epitome de sponsal. part. 2. cap. 1. num. 5. Gram. in consil. 26. num. 9. in ciuilib. Pute. in decis. 103. lib. 2. & Ceph. in consil. 435. num. 64. lib. 3. quos secutus sum in consil. 199. num. 48. lib. 2. Et hic quidem casus procedit, quando plura concurrunt. Et primo longa (vt diximus) cohabitatio, et quæ intelligitur decem annorum, vt scribunt Host. & Butr. in cap. lator. qui filij sint legit. Capol. in d. consil. 5. numer. 16. & Did. in cap. 1. num. 5. reiecta opinione Fel. in cap. illud. col. pen. ver. immo dicebat singulariter. Alc. reg. 1. præsumpt. 41. num. 1. & Euerardi in ceurtoria legali, in loco à verisimili. numer. 19. qui opinati sunt sufficere habitationem vnus anni cum dimidio. Requiritur secundo, quod vir, & mulier pares sint. Ita Soc. Sen. in consil. 39. num. 4. lib. 1. Cagn. in l. si qua illustri. num. 12. in fin. C. ad S. C. Orphicia. Celsus Hugo in consil. 73. num. 5. Palæot. de nothis spurijque filijs. cap. 19. num. 2. Soc. Iun. in consil. 89. num. 3. lib. 2. Gram. in consil. 26. num. 8. & 10. Didac. in cap. 1. nu. 5. quos secutus sum in consil. 199. num. 49. lib. 2. Et in consil. 490. n. 10. lib. 5.

Nam inter pares facile et præsumitur contractum matrimonium, vt post alios scribit Tiraq. in legibus conubial. l. 5. num. 28. Cæterum Celsus Hugo in consil. 73. nu. 5. post alios nonnullos sentit, hanc paritatem nil operari de iure Canonico, vt præsumatur matrimonium. Requiritur tertio quod mulier ipsa sit, fueritque vita honesta, non autem si corporis sui quæstum fecit. Nam tunc nec iure et ipso Civili inspecto præsumitur ex cohabitatione matrimonium cum viro contractum. Ita probat text. d. c. 1. in liberæ. ff. de ritu nupt. & tradit Palæot. de not. spurijque filijs, cap. 19. num. 1. in fin. quem secutus sum in d. consil. 199. num. 49. lib. 2.

Requiritur quarto, quod vir ipse pertrahat et mulierem honorificè, eo scilicet modo, quo vxores pertrahant, & haberi solent. Cast. in l. donationes, in princ. ff. de dona. Felyn. in cap. illud, num. 10. & nu. 11. de præsum. Io. Lup. in cap. per vestras, in 3. not. §. 7. num. 7. de don. inter vir. & vxor. & Didac. in d. cap. 1. num. 5. Et ij quidem omnes adducti sunt ex cap. illud, de præsumpt. ibi, in lecto, & mensa. Dissentit tamen Bald. in cap. extramissa, col. 1. de restit. spoliat. Innoc. in cap. ex parte, eodem tit. & Celsus Hugo in consil. 73. num. 6.

Requiritur quinto, vt habitatio et sit in vna eademque domo, non autem sufficeret, quod vir habitaret in solita sua domo, vtputa in paterna, & mulier in domo conductitia. Ita Host. Butr. Imol. Alex. Gram. Ioan. Bapt. Ferret. & Socin. Iun. quos secutus sum in d. consil. 197. num. 49. vers. 3. quod dicitur, lib. 2. vbi dixi, idem sensisse Bal. in consil. 195. lib. 3. Idem respondit Cepol. in consil. 5. num. 3. in ciuilibus. qui à contrario dixit, non præsumi contractum matrimonium cum ea, cui extra domum præstantur alimenta.

Requiritur sexto, vt ij ita cohabitantes, coram et testibus declarent, se cohabitare tanquæ coniuges. Ita Ang. quem secutus sum in d. consil. 199. n. 49. in fi. li. 2.

Quattus est casus, quando vir, & mulier, qui simul cohabitabant, vita functi sunt, & ambigitur de filiorum legitimatione. Hoc in casu etiam, iure pontificio inspecto,

do,